Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Domine memento mei cum veneris in regno tuo
Et dixit illi ihus. Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta. et tenebre facte sunt in universa terra usque in horam nonam. Et obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium. et clamans voce magna ihus ait. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hec dicens expiravit. Videns autem centurio quod factum fuerat glorificavit deum dicens. Vere hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul adierant ad spectaculum istud. et videbant que fiebant percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti eius a longe et mulieres que secute erant eum a galilea hec videntes. Et ecce vir nomine ioseph qui erat de civitate arimathia. hic non consenserat consilio eorum ab arimathia civitate iudee qui expectabat et ipse regnum dei. Hic accessit ad pylatum et petiit corpus ihu. Et depositum involvit in sindone et posuit eum in monumento excisso in quo nondum quisquam positus fuerat. Offertorium Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat. Secreta Suscipe quesumus domine munus oblatum et dignanter operare ut quod passionis filii tui mysterio gerimus prosit effectu. Per eundem. Phaco Qui saluti: Communio Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Postcommunio Quia venit quem misericordia eius. Complet Largire famulis tuis quesumus domine ut per passionem filii tui unigeniti quem mysteria venerandae testantur vitam nobis dedisse precibus confidamus. Per eundem. Supplicatio